

nam poena temporalis huius vitae aliquando absolute decernitur, ita ut nolit Deus pro ea compensationem accipere, quemadmodum contigit Davidi pro morte filii 2. Reg. XII. 16. seq. culpa autem semper remittitur, cum illud homo praestat quod praestare debet. Itaque quod hic directe et immediate intendit Daniel, est liberatio ab ea poena temporali, pro qua obtinenda suggerit regi eleemosynas (צדקה) est etiam liberalitas, beneficentia, eleemosyna; hunc vero sensum flagitat verbum chaldaicum מרחם misereri in hemistichio sequente) et misericordias erga pauperes (miserendo pauperibus): quibus misericordiis peccata redimat. Peccatum vero in Scripturis non infrequenter accipitur pro reatu poenae propter culpam. Gen. XLIII. 9. Deut. V. 9; 3. Reg. I. 21. Indirecte autem et implicite suadet quoque Daniel Regi ut culpae remissionem procuret; asonum est enim retento affectu ad peccatum exorare a Deo veniam poenae peccato eidem decretae. Constat ergo ex his posse hominem per opera sua consequi remissionem extraordinariae poenae temporalis luendae in hac vita. Atque ita quoque obtinuit remissionem talis poenae Achab. 3. Reg. XXI. 29.

Idem 2^o constat, si sensus Ecclesiae consulatur. Cum enim imminet vel adventant tales extraordinariae poenae, hortatur Ecclesia fideles ut orationibus operibus bonis ac poenitentia placare velint divinam iustitiam atque ita avertere a se ipsis huiusmodi mala; censeat ergo Ecclesia fieri id quoque posse ut talium poenarum remissio obtineatur a Deo, ideoque credit Ecclesiam quod Deus identidem paratus sit acceptare tales compensationes.

Porro si exempla e Scripturis allata perpendas, facile intelliges quod ad obtinendam harum poenarum remissionem non exigit Deus ut iustus iam sit qui compensationem aliquam exhibiturus accedit, sed et ipsi peccatores, dum poenitentiam agunt, possunt flectere divinam misericordiam ut cum remissionem obtinent peccatorum, etiam huius poenae extraordinariae condonationem consequantur. Et sane in hac hypothesis non agitur de remissione poenae debitae peccato ita ut nisi illa poena subeatur, non possit amplius puniri et debitum poenae eo ipso exstinguatur, sed solum de remissione alicuius poenae extraordinariae, sine qua etiam vindictam criminis sumere Deus potest vel per eam ipsam satisfactionem, quam homo libere offert vel aliis poenis sive in hac sive in altera vita. Iam vero status gratiae, si requiritur ad satisfactionem, ideo requiritur quia agitur de ea satisfactione, qua ex condigno homo meretur, ideoque exigit extinctionem debiti, ut Th. seq. videbimus.

Rursus si ea exempla perpendantur, liquebit pariter quod ad flectendam divinam pietatem ne has poenas inferat, opus per se non

est operibus proprie satisfactoriis, sed merita et orationes iustorum sufficere. Patet id ex iis, quae Deus Abrahamo dixit occasione imminenti subversionis Sodomorum.

III. Probatio secundi. Nequit homo aliquando per opera sua redimere poenas extraordinarias, h. e. Deus quandoque eas absolute decernit ita ut, quantumvis homo faciat, eas nolit relaxari. Id rursus liquet exemplis. Nam David (2. Reg. XII. 14. seqq.) non impetravit remissionem poenae positae in morte filii sui: Moyses pariter non obtinuit remissionem poenae pro peccato diffidentiae (Deuteron. XXXII. 49-51): Samuel nequivit flectere misericordiam Dei in Saulem, ut eum regnare super Israel concederet (1. Reg. XVI. 1.), nec Noe, Daniel, Iob, si vixissent, potuissent flectere Deum ad misericordiam pro terra Iuda, ut testatur Deus penes Ezech. XIV. 14. seqq. Id quoque historia Ecclesiae persuadet, ex qua constat non semper impetratum esse ut flagella Dei averterentur. Ratio est, quia integrum est Domino punire peccata, sicut vult: potest autem suam mercedem reservare omnibus operibus bonis, quibus sua misericordia exoratur.

THESIS XXXVIII.

(q. XIV.)

Pro debito poenae manente post culpam remissam potest iustus in hac vita per opera bona poenalia libere assumpta, vel per poenas a Deo immixtas libere acceptatas, condigne satisfacere.

I. Quaestio nunc est de ea satisfactione, qua poenae temporalis debitum exstinguitur, ut idcirco iuri suo cedat Deus vindicandi iniurias sibi illatas. Non est quaestio de facultate, quae hominibus competat per opera sua bona removendi a se aliquas speciales poenas, quae fuit quaestio praeced. Thesis.

Itaque *satisfactio*, ut Th. XXXVI. diximus, proprie est actio quaedam iustitiae, cuius proprium est aequalitatem constituere; et quamvis (ait Suarez D. 37) interdum idem quod restitutio significare videatur, proprie tamen et rigore sumpta versatur in recompensandis iniuriis illis, quae in actionibus potiusquam in rebus consistunt; et a restitutione differt, quia restitutio significat actionem, per quam res aliena domino redditur, satisfactio vero actionem indicat, per quam iniuria compensatur, quae in personam aliquam redundavit. Iniuria Deo illata per peccatum mortale infert inimicitiam Dei et debitum aeternae poenae: nequit autem, ut iam monuimus, peccator per actionem suam exhibere Deo compensationem eam,

quae exigit desitionem inimicitiae et debiti aeternae poenae, quod cum illa cohaeret: sed gratis iniuria remittitur, restituitur amicitia, deletur debitum poenae aeternae propter meritum Christi: et hoc est quod dicitur non posse hominem pro culpa satisfacere. Potest tamen per gratiam Dei et merita Christi aliquam imperfectam compensationem afferre, qua se disponat et de congruo mereatur reconciliationem et remissionem poenae aeternae. Remissa vero culpa, manere potest et frequenter manet, ut diximus, debitum alicuius poenae, qua iustitiae divinae compensatio aliqua exhibetur. Huic autem debito dupliciter fieri potest satis: primo quidem ex opere operato, per satisfactionem Christi, quae applicatur per Sacramenta vel per indulgentias vel per Sacrificium Eucharisticum, secundo vero per opus operantis et hoc rursus dupliciter, nempe tum *pati*endo poenam, quam Deus per se et primo decrevit pro peccato, tum, *agendo* aliquid, quo exhibeatur compensatio pro illa poena, ita ut debitum poenae tollatur. Prior ex his modus proprie dicitur *satispassio*, alter proprie *satisfactio*; est enim actio libera, qua offertur compensatio Deo. Huiusmodi proinde satisfactio, cum substituitur poenae debitae, eo spectat quo et illa, ut scilicet divinae iustitiae propter culpam admissam compensatio per poenas aliquas exhibeatur. Haec est satisfactio proprie dicta, de qua loquuntur Theologi, cum de satisfactione in hoc Tractatu disputant. Definitur ea proinde *Compensatio poenae temporalis debitae ob iniuriam Deo per peccatum illatam* (s. Thom. Suppl. q. XII, a. 3.). Haec vero definitio, ut vides, supponit verum esse id quod sententia prior relata in Th. XXXVI n. V. affirmat. h. e. poenam temporalem primo et per se constitutam peccato esse poenam alterius vitae: quod si haec opinio non probatur tibi, vel vis ab hac quaestione praescindere, licebit definire satisfactionem hoc pacto, ut dicatur: Exstinctio operum poenaliu[m] debiti poenae temporalis propter iniuriam Deo factam.

Constat satisfactionem huiusmodi esse actum virtutis poenitentiae actumque iustitiae, quo aequalitas aliqua ponitur; compensatur enim quadantenus offensa et tantum datur quantum pro poena, quae manet, ex divina ordinatione debetur (q. XII, a. 2.). Quia vero iustitia non ad hoc tantum tendit ut inaequalitatem praecedentem auferat puniendo culpam praeteritam, sed etiam ut in futurum aequalitatem custodiat, quia secundum Philosophum (II. Ethic. c. 3) poenae medicinae sunt; hinc satisfactio, quae est iustitiae actio poenam inferentis, est medicina curans peccata praeterita, h. e. habitus malos peccatorum, et praeservans a futuris (q. XII, a. 3.). Quare satisfactio, ratione tum operum, in quibus consistit, tum intentionis

satisfacientis vel iniungentis satisfactionem, eo etiam spectat ut tollantur radices et causae peccatorum, et ita ad maximam puritatem adducatur homo.

His declaratis, quaestio multiplex est; an possit iustus pro debito reliquo poenae satisfacere, et ubi, et quibus operibus, et quanta dignitate id valeat. Has breviter expediamus, id demonstrantes quod in Thesi statuimus.

II. Potest iustus per opera sua vere satisfacere pro debito poenarum temporalium. Sane ille vere satisfacit, qui exhibet id, quod valorem intrinsecum habet compensandi debitum. Atqui potest iustus ea opera edere, quae valorem intrinsecum habeant pro compensando debito poenae. Scilicet non tantum applicantur iusto satisfactiones Christi, quibus ipse satisfaciat Deo pro temporali poena, sed ipsae actiones iusti valorem habent satisfaciendi, iisque iustus satisfacit, licet per Christum et in Christo. Id enim nexum est cum indole propria iustificationis Christianae, ut sit interior hominemque formaliter constituat iustum et sanctum coram Deo; ex quo consequitur quod vita iusti ne dum in actu primo, sed et in actu secundo, sive operationes eius sint intrinsece sanctae et acceptae Deo. Quare opera iustorum habent coram Deo intrinsecum valorem meriti, vereque iusti per opera sua merentur coram Deo. Iam vero si iustorum opera sunt intrinsece meritoria, sunt et intrinsece satisfactoria. Nam non postulatur magis ad valorem satisfactionis quam ad valorem meriti: imo plus est mereri vitam aeternam, quam remissionem poenae temporalis. Quam doctrinam confirmat Trid. Conc. XIV, cp. 8. his verbis: « Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde gloriatur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. » Ubi eodem modo dicimur satisfacere et mereri in Christo: meremur autem in Christo quatenus per gratiam sanctificantem, quam ipse nobis promeruit, operantes edimus opera intrinsece sancta dignaque aeterno praemio, quae propter Christi merita acceptantur a Deo. Ergo similiter in ipso satisfacientes edimus opera intrinsece facientia satis debito poenae. Neque nostra satisfactio magis officit satisfactioni Christi, quam meritum nostrum merito Christi.

Quocirca si quaeritur (q. XIII. a. 1) an iusti satisfactio sit *de condigno*, ita ut ex iustitia debeatur ei remissio poenae temporalis

alterius vitae, communis responsio est affirmativa. Rationes probantes rem ita esse hae sunt: 1) Iustus dicitur vere satisfacere: at ille satis facit qui exhibet id quod est sufficiens; qui autem dat quod sufficiens est ad delendum debitum, illi debetur remissio debiti. 2) Si satisfactio esset tantum de congruo, dicendus esset homo satisfacere quoque pro debito poenae aeternae per contritionem, qua meretur de congruo remissionem poenae aeternae sicut et culpa; at id videtur contra modum loquendi Tridentini, quod Sess. VI. cp. 14. distinguens inter poenam aeternam et temporalem, illam dicit remitti et negat pro ea satisfieri, hanc negat totam semper remitti in Sacramento Poenitentiae, et pro eo satisfieri docet. Distinguit ergo Concilium inter haec: remitti reatum poenae, et satisfieri pro eo; sed si satisfactio non esset de condigno, etiam poena temporalis remitti diceretur sicut aeterna, pro qua etiam satisfacimus de congruo. 3) Proscriptae sunt hae duae propositiones Baii 59°. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores, sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur: et 77°. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatum.

Ratio probans et declarans cur ita sit, potest sic breviter institui. Potest iustus mereri praemium de condigno; ergo et potest de condigno satisfacere. Antecedens probatur in Tract. De Iustificatione. Cf. Bellarm. Consequentia patet. Nam discrimen est quidem inter meritum et satisfactionem, quod meritum ordinatur ad consecutionem praemii seu vitae aeternae, satisfactio ad extinctionem debiti poenae: at quoniam satisfactio libera ad modum meriti operatur, extinguitur enim debitum poenae, quia propter satisfactionem, quam offert, dignus est iustus ut ei poena remittatur, et quia non plus est extinguere debitum poenae quam mereri vitam aeternam; hinc nequit amplius pro satisfactione quam pro merito postulari: ergo.

IV. Cum ergo iustus satisfacere possit, quaeritur utrum status iustitiae sive gratiae necessarius sit pro satisfactione exhibenda divinae iustitiae. Nam contra esse videtur quod satisfactio, de qua loquimur, ea est, quam Patres probabant: porro Patres satisfactiones a peccatoribus in poenitentia publica haud raro, ut creditur, exigebant ante absolutionem, h. e. ante remissionem culpa, atque de hac loquitur Cyprianus in lib. De Lapsis. August. Serm. 351. alique, ad quorum tamen testimonia solet a Theologis provocari ad probandum necessitatem et valorem satisfactionum: putabant ergo

Patres satisfieri posse etiam a peccatoribus pro eo reatu, pro quo iusti, remissa culpa, satisfaciunt; secus enim male admodum consuissent Patres peccatoribus: aut dicendum esset satisfactionem, de qua loquuntur Patres, aliam esse a nostra. Respondetur opera poenalia imposita poenitentibus a potestate clavium pro placanda ira Dei et iniuria compensanda, si fiant adhuc existente statu peccati, quod contingit cum poenitens est tantum attritus, valere quidem posse pro extinctione debiti poenae etiam temporalis, sed potius ad modum dispositionis vel satisfactionis congruae, non condignae. Valent enim prout sunt pars Sacramenti, quae cum absolutione concurrunt ad producendum effectum Sacramenti, qui non est sola remissio culpa sed et poenae. Quoniam ergo gratia sacramentalis confertur secundum dispositiones poenitentis et potest esse tanta contritio, qua totius poenae reatus tollatur; et dispositio consistens in sola attritione et actibus aliis poenitentiae potest esse plus minus perfecta: fieri proinde potest et debet, ut quo perfectior est dispositio, minor poena maneat remissa culpa, atque adeo tantae perfectionis ea dispositio esse potest, ut nulla amplius poena supersit. Quapropter etiam tunc verum est operibus bonis compensationem pro offensa exhiberi Deo obtinerique remissionem nedum culpa sed et poenae etiam temporalis. Discrimen quidem erit in modo merendi; at quia semper idem est effectus et status gratiae, quin obsit, magis confert ad valorem satisfactionis, merito Theologi et Tridentini Patres, ex Veterum Patrum auctoritate loquentium quoque de satisfactione ante iustificationem, asserunt contra haereticos valorem et necessitatem satisfactionis. Ceterum ut videbimus in Appen. §. II. Patres frequentissime satisfactiones iniungebant post imperitam absolutionem sacramentalem etiam cum poenitentia publica agenda esset.

Causae vero plures, potissimum ex eo petita quod satisfactio sit quoque medicina, esse potuerunt cur pro quibusdam criminibus gravioribus exigeretur aliquando ab Episcopis satisfactionis cuiusdam opus ante absolutionem. In qua praxi satisfactio eo semper spectabat, ut Deus placaretur compensatione quadam oblata: modus vero satisfactionis offerendae, h. e. ante reconciliationem et publice, vel postea et secreto ex certis causis, ut diximus, determinabatur.

VI. Potest iustus satisfacere in hac vita; h. e. requiritur, ut aiunt, gratia viatoris. Sane in altera vita possumus satisfacere: sed satisfactio est compensatio libere oblata pro poena debita peccato; huiusmodi vero compensatio in hac tantum vita offerri potest, quae tempus est merendi apud Deum et placandi Deum; in altera vita peracto iudicio, nequit esse locus nisi poenae aut praemio.

VII. Potest autem iustus satisfacere per opera poenalia. Supponimus opera satisfactoria debere esse bona seu honesta, imo et supernaturalia; absurdum est enim satisfacere Deo per id, quod Deum offendit: et quia satisfactio nostra a Christo vim habet, opus est ut fiat per gratiam Christi, ideoque sit supernaturalis. Oportet autem ut opus quo satisfacimus sit poenale, et quatenus tale est satisfacit. Satisfactio enim est compensatio pro poena debita, quare non in eo est posita ut aliquod bonum exigat a Deo, sed ut solvendo quod debet iustitiae vindicativae, exstinguat debitum poenae. Quare fundamentum satisfactionis est *poenalitas* operis. Etenim satisfactio pro debito poenae, ut ait Lugus D. XXIV. sect. 3. fit quatenus aequum est, ut qui praevenit Iudicis officium et sponte sua se ipsum castigavit, non iterum a Iudice puniatur, cum eum iam punitum inveniat: hoc autem totum supponit poenalitatem, afflictionem, punitionem in opere satisfactorio. Sane oportet opus satisfactorium habere proportionem cum poena, pro qua satisfacit: proportionem autem cum poena habet opus poenale et quatenus tale; sub hoc enim respectu in eodem genere reperitur: Cum ergo satisfactio eo spectet ut iustitiae vindicativae fiat satis, haec autem poenam respiciat, oportet opus satisfactorium esse poenale. Et re quidem vera talis est conceptus satisfactionis, quem Scripturae, Patres et Tridentinum Concilium suppeditant: nam Scripturae cilicii, cineris, fletus, eleemosynae, ieiunii mentionem faciunt: Patres pariter satisfactionis opera ad ieiunia, vigilias, eleemosynas, macerationes corporis et huiusmodi revocabant: Trid. vero Conc. Sess. XIV, cp. 8. satisfactiones appellat *satisfactorias poenas*, atque nos *satisfaciendo pati et compati cum Christo*, docetque eos esse *in vindictam et castigationem* criminum praeteritorum atque inter eas potissimum recenset *en. 13. ieiunia, orationes, et eleemosynas*.

Hinc colligitur 1) quod actus exterior, etsi non augeat rationem meriti, auget tamen rationem satisfactionis propter specialem poenalitatem in eo existentem, supposito tamen actu interiore eam volente vel acceptante. 2) Quod si actus aliquis meritorius nullam poenalitatem haberet, non foret satisfactorius; quod quidem intelligendum est de poenalitate operis per se spectata in ordine ad naturam: si enim alicui propter caritatem aut habitum virtuosum opus per se poenale evaserit dulce vel leve, id valorem satisfactionis non minuit; « diminutio enim poenalitatis ex promptitudine voluntatis, quam facit caritas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget » ait s. Thomas l. c. cur enim quis ex virtute damnum referre debet? 3) Omnia opera meritoria etiam tantum interna esse nunc quoque satisfactoria, eo quod in statu praesenti adiunctam sem-

per habeant ex se aliquam difficultatem, sintque homini plus minus laboriosa et poenalia: quare ea triplex classis *ieiunium, oratio, eleemosyna* complectitur tria veluti genera, ad quae omnia opera satisfactoria possunt revocari; unde et Trident. iis enumeratis *en. 13. subiicit: vel aliis etiam pietatis operibus*.

VIII. Satisfacit iustus per opus poenale *liberum* (q. XII, a. 1): scilicet satisfactio debet esse actus liber vel formaliter vel imperative. Ratio est quia satisfactio differt a coacta punitione, differt autem ex eo quod est libera. Sane satisfactio est moralis quidam effectus, ut ait Suarez D. XXXVII. Sect. 3. et in morali valore operis fundatur, sicut meritum; sine libertate vero nullum est esse morale in actibus. Praeterea satisfactio est actus virtutis poenitentiae, de ratione autem virtutis est ut sit voluntaria detestatio et vindicta peccatorum. Igitur iustus per opus poenale libere assumptum satisfacere potest.

IX. Sed quaestio esse potest utrum per passiones seu poenas, quas quis necessarie patitur ab extrinseco illatas, satisfacere possit. Responsum affirmativum tradunt Tridentini Patres Sess. XIV. cp. 9. « Docet praeterea esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter tolleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus ». Rationem affert s. Thomas (q. XV. a. 2), quia nempe ut flagella, quae pro peccatis a Deo infliguntur, rationem satisfactionis accipiant, oportet et sufficit ut fiant aliquo modo ipsius patientis, h. e. ipsi sint libera; fiunt autem ipsius, inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter. Cum ergo illa passio sit opus bonum, poenale et liberum adeo ut mereri possit, est etiam sufficiens ad satisfaciendum. Et sane Christus etiam per passiones extrinsecus illatas satisfecit: nos vero dum satisfaciendo patimur, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficitur, ut ait Trident.; ergo et nos possumus eo modo satisfacere. Quia vero flagella Dei non ea tantum sunt, quae per causas naturales nobis proveniunt, sed et ea, quae per causas liberas nobis accidunt, omnia enim ordine continentur divinae Providentiae et ab ea disponuntur; hinc et per mala inflictata nobis ab hominibus satisfacere possumus. Cum igitur per huiusmodi flagella Dei ideo satisfaciamus, quia nostra ea facimus libere acceptando, concludit s. Thomas quod si homo omnino (nota illud *omnino*) eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius; et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum. Patet itaque quod iustus satisfacere potest per

opus poenale sive libere sua sponte assumptum sive libere acceptatum.

Porro ex dignitate operantis et eius merendi capacitate operisque libertate fit ut quod pro compensatione poenae debitae exhibetur, non debeat esse secundum rem tantum quantum secundum legem vindictivam pati simpliciter vel invitus deberet; secus reapse paritas non servaretur, nec possibile foret in hac vita plene satisfacere.

Itaque ex his habes definitionem satisfactionis, quae culpa remissa agatur; est enim opus bonum poenale ab homine iusto viatore libere assumptum vel acceptatum pro compensatione exhibenda divinae iustitiae vindictivae.

X. Quae tandem potest utrum remissio debiti poenae obtineri possit aliter quam per satisfactionem, h. e. per impetrationem. Pars negans probabilior videtur Suarezio *ibid.* Sect. 10: pars affirmans verior Lugo *ibid.* Sect. I. dub. incid. Affirmantibus suffragari videtur sensus et praxis Ecclesiae, quae in officio defunctorum saepius petit ut Deus condonet poenas debitas animabus in purgatorio. Item B. Virgo et Sancti exorare et impetrare possunt remissionem huius poenae iisdem animabus, quod rursus Ecclesia testatur, quae petit a Deo ut eae animae, B. Virgine intercedente et omnibus Sanctis, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Porro si pro aliis potest iustus impetrare remissionem poenae, multo magis id poterit pro se ipso, si tamen iam non existat in statu punitionis. Cf. eosdem auctores citatos.

THESIS XXXIX.

(q. XIII. 2.)

Potest iustus pro alieno quoque debito temporalis poenae satisfacere Deo, satisfactione condigna; etsi Deus non ex iustitia sed ex misericordia eam acceptet, et forte non se ad acceptandum semper obligaverit.

I. Quoniam disseruimus de facultate iusti satisfaciendi pro se, quacum nexa est facultas satisfaciendi pro aliis, aequum est ut de hac quoque facultate loquamur: praesertim cum huius rei demonstratio praesupponenda sit iis, quae in Appendice de Indulgentiis tradituri sumus.

Cum iustus possit pro se satisfacere (Th. praeced.), satisfactio autem pro alio videatur aliquid amplius quam pro se ipso, patet quod adhuc reliqua est quaestio an pro alio valeat satisfacere. Iam vero constat quod de sola satisfactione pro poena temporali debita peccato remisso sermo esse potest; nam manente

culpa nullus est locus remissioni poenae: satisfactio vero pro culpa et poena eaque aeterna aliorum, propria est Christi. Cum ergo solus iustus sit qui debitor sit tantum poenae temporalis, satisfactio a iusto exhibita, si pro alio valet, non nisi pro alio iusto valere poterit. Satisfactiones huiusmodi suffragia dicuntur.

II. Ut Doctrina catholica hac in re teneatur, advertere oportet primum differentiam inter meritum et satisfactionem pro debito poenae, si haec non quidem materialiter (nam unus idemque actus potest esse utrumque), sed formaliter considerentur. Commune est utriusque, si origo spectetur, quod sint actus personales: si vero terminus spectetur, alter est in merito, alter est in satisfactione. Terminus duplex distinguitur, res nempe, terminus *qui*, et persona, terminus *cui*, qui potest concipi immediatus vel medius. In merito terminus res est praemium; in satisfactione terminus res est extinctio debiti poenae: in merito terminus cui immediatus est subiectum ipsum operans; licet enim possit alter mereri alteri aliquod bonum, hoc tamen totum (bonum alteri collatum) propter illud meritum censetur et est bonum merentis illique soli vel ex condigno vel ex congruo debitum: in illo vero, cui propter alterius meritum conferitur bonum, nulla ratio meriti consideratur erga idem bonum. Repugnat scilicet ut aliquis constituatur formaliter merens per actum alterius; quid enim meretur qui nihil agit? Quia tamen bonum, quod quis meretur, alteri datur, hic terminus cui medius meriti dici poterit.

E contrario terminus cui immediatus satisfactionis est divina iustitia vindictiva, cui compensatio exhibetur pro offensa; huc enim spectat satisfactio, ut Deo faciat satis. Quocirca meritum penes Deum infert quandam intrinsecam mutationem agentis eo quod gratior Deo et sanctior evadat: satisfactio vero sine ulla intrinseca mutatione agentis integre perfici potest; absolvitur enim desitione iuris divini exigendi poenas pro offensa.

Ex hac autem propria ratione satisfactionis sequitur: 1^o. quod persona, cuius debitum exstinguitur, est terminus cui *medius* eiusdem satisfactionis: sequitur 2^o. quod licet debeat esse persona aliqua, cui debitum exstinguitur, haec tamen (attenta natura satisfactionis, quam solam nunc consideramus praecisa quavis positiva lege) possit esse alia ab agente seu offerente satisfactionem: ut ideo sit etiam in hoc discrimen inter meritum atque satisfactionem. Mereri scilicet quis valet et alteri, sed non ita ut abdicans a se rationem sui meriti, transferat illam prorsus in alium, et sic iste ante Deum talis constituatur ac si ipse meruisset; at quis valet pro altero satisfacere ita ut totum ius suae satisfactionis transferat in alium et